

The Electronic Manipulus florum  
www.manipulusflorum.com

Suffragium c  
cum fonte primo

Tempus quod inter  
hominis mortem et ultimam  
resurrectionem positum est animas  
abditis receptaculis continet, sicut  
unaqueque digna est uel requie uel  
erumpna pro eo quod sortita est in carne  
dum uiueret, neque negandum est  
defunctorum animas pietate suorum  
uiuencium releuari cum pro illis  
sacrificium mediatoris offertur uel  
elemosine in ecclesia fiunt. Sed eis  
hec prosunt qui cum uiuerent hec sibi  
ut postea possent prodesse meruerunt.  
Est enim quidam uiuendi modus nec tam  
bonus ut non requirat ista post mortem,  
nec tam malus ut ei non prosint ista post  
mortem. Est uero talis in bono  
ut hec non requirat; est et rursus talis in  
malo ut ne hiis ualeat cum hec uita  
transierit adiuuari.

Augustinus libro LXXXIII. questionum.

Tempus autem, inquam, quod inter  
hominis mortem et ultimam  
resurrectionem interpositum est animas  
abditis receptaculis continet, sicut  
unaqueque digna est uel requie uel  
erumpna pro eo quod sortita est in carne  
dum uiueret. Neque negandum est  
defunctorum animas pietate suorum  
uiuencium releuari, cum pro illis  
sacrificium mediatoris offertur uel  
elemosinae in ecclesia fiunt. Sed eis  
haec prosunt qui cum uiuerent haec sibi,  
ut postea possent prodesse, meruerunt.  
Est enim quidam uiuendi modus nec tam  
bonus, ut non requirat ista post mortem,  
nec tam malus, ut ei non prosint ista post  
mortem; est uero talis in bono,  
ut his non requirat, est rursus talis in  
malo, ut nec his ualeat, cum haec uita  
transierit, adiuuari.

Augustinus Hipponensis, *De octo  
dulciti quaestionibus*, 2, 4 (CCSL 44A,  
A. Mutzenbecher ed., p.273, ll.57-68).